



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VIII. Siricius docet Diacono presbyterium vel episcopatum dari si eum cleri & plebis evocaverit electio. Sed ei electioni adjungendum judicium Metropolitanani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

monitus literis Metropolitanani sui negligit cum aliis Episcopis convenire ad ordinandum Episcopum. Incidit in codicem corruptum Græcus interpres. Legit initio, *in qua plurimi sunt Episcopi*; cum Latinus textus habeat, *in qua plurimi fuerint*. Quos Latinus vocat *vicinos Episcopos provincie*, Græcus reddit Exarchum sive Metropolitanam provincie. respexit enim sentum. De his Episcopis, alienæ scilicet provincie, inquit textus Latinus, *ut ipsi veniant, & ordinent*. Græcus legit, *ipse veniat*, & refert ad Episcopum negligentem. Hæc autem interpretatio est apud ipsum quoque Ioannem Scholasticum. Vnde patet primum interpretem in textum Latinum corruptum incidisse. Ceterum illius vera lectio, quam secuti sumus & explicavimus, habetur apud Dionysium & apud collectorem Dionysio antiquiorem. Apud Burchardum quoque, Ivonem, & Gratianum, eadem sententia, licet verbis paululum diversis.

III. Huic testimonio adjungi debet Concilium tertium Carthaginense habitum anno CCCXCVII. can. XL. *Si qua contradictio fuerit suborta, quia talia sæpe facta sunt apud nos, non presumant ad purgandum eum qui ordinandus est tres tantum, sed postulentur ad numerum supradictorum duo vel tres; & in eadem plebe cui ordinandus est discutiantur primo persone contradicentium, postremo illa etiam qua obijciuntur pertractentur; & cum purgatus fuerit sub conspectu publico, ita demum ordinetur.* Hujus canonis aperta est sententia, scilicet Episcopos convenire in Concilium in civitate sedis vacantis, ut Episcopum eligant. Poterat quidem synodus illa à tribus congregatis haberi, consentientibus scripto ceteris provincie Episcopis ex præcepto Metropolitanani; ut decreverat synodus Nicæna, & Carthaginensis secunda sub Gennetio canone duodecimo. quod hic canon sequitur. Sed addit, si electo crimina objiciantur, tres illos qui Concilium canonicè constabant, non sufficere ad purgandum accusatum, sed tribus illis adjungendos esse duos aut tres, scilicet de Primatis auctoritate, ut sex illi aut quinque, accusatione ut oportet discussa in civitate sedis vacantis, de purgatione electi pronuntient, eumque sub conspectu publico ordinent.

IV. In pauca verba veterem illum usum contraxit Concilium Carthaginense quartum anno CCCXCVIII. can. I. ubi post expositas pietatis & veræ fidei dotes, quibus instructus esse debet Episcopus, subjungit: *Cum in his omnibus examinatus, inventus fuerit plenè instructus, tunc cum consensu Clericorum & laicorum & conventus totius pro-*

vincie Episcoporum, maximèque Metropolitanani vel auctoritate vel presentia, ordinetur Episcopus.

V. Ex hoc more canonico, Acholio Theſſalonicenſi vita functo circiter annum trecentefimum nonageſimum Anyſius ad Vide ſup. lib. 6. cap. 14. §. 1. *ſummum ſacerdotium à Macedonicis obſecratus populis, à ſacerdotibus electus eſt*, ut loquitur Ambroſius lib. III. epiſt. XXI.

VI. Quoniam verò pluribus incommodis expoſita erat ratio illa electionum, ob neceſſitatem ſynodi habendæ, quam protrahi sæpe contingebat per variarum factionum contradictionem, unde à ſuis Eccleſiis Episcopi longo tempore diſtracti, ſumptibus non ferendis vexabantur, aliam formam decrevere Summi Pontifices, quæ poteſtatem cleri ac populi, deinde verò Metropolitanani auctoritatem, in magnum Eccleſiæ commodum & diſſidorum remedium, vehementer auxit. Etenim electio perſonæ collata eſt in arbitrium cleri & populi, etiam abſque ſynodi epiſcopalis præſentia: qui quidem decretum de electione factum, & à ſe ſubſcriptum, ad Metropolitanum mittebant. Ille verò cum plena cauſæ cognitione judicium de forma electionis & de perſona electi ferebat, confirmata vel etiam reſciſſa electione. Iſto verò ordine ſemel recepto non abolita eſt in totum vetuſtior illa forma ſynodi habendæ ab Episcopis, qua, etiam poſt iſta tempora, Episcopali aliquando utebantur, prout occaſio poſtulatebat. Semper autem in Metropolitanorum electionibus uſurpata fuit: quæ jus ſpecialle videbatur, cum tamen eſſet pars juris antiqui, quod olim commune fuit in electionibus tum Episcoporum tum Metropolitanorum.

VII. Hujus novæ formæ originem tribuere poſſumus Siricij, Innocentij, Zoſimi, Bonifacij, Celeftini, atque Leonis decretis, quæ ſtatim reddemus. Quam Ambroſius, Siricij ætate, pro ſua prudentia amplexus videtur in cauſa Vercellenſis Eccleſiæ; quæ cum vacaret, Metropolitanani ſui Mediolanenſis Episcopi ſtudio replenda erat. Quare diuturnior ejus Eccleſiæ vacatio illi imputabatur. Quod ille repellit his verbis epiſt. LXXXII. *Cum ſint in vobis diſſenſiones, quomodo poſſumus aliquid aut nos decernere, aut vos eligere, aut quiſquam acquirere, ut inter diſſidentes ſuſcipiat hoc munus quod inter convenientes vix ſuſtineatur?* Infrà: *Convenit ergo modestia veſtra & concordia inſignere, ut congruatis aſſenſu ad poſtulandum ſacerdotem.*

VIII. Siricius anno CCCLXXXV. in epiſtola decretali ad Himerium cap. X. docet

Diacono presbyterium vel episcopatum dari si cum cleri & plebis evocaverit electio. Idem epist. 111. ad orthodoxos per diversas provincias Dioceseos Urbicariae, ut puto, cap. 1. apostolicum ordinem servandum docet in Episcopis ordinandis, scilicet ut digni possint, inquit, & plebis & nostro iudicio comprobari. Ad cleri & plebis electionem adjungendum est iudicium Metropolitanum. In Diocesi quippe Urbicaria, quae decem provinciis constabat, Episcopus Urbis metropolitana jure potiebatur in confirmandis electionibus, ut alibi demonstravi.

IX. Innocentius in epistola ad Victricium Rothomagensis docet ordinationes à Metropolitanis fieri debere, servato nempe ordine à decessore suo jam praescripto. Idem Innocentius in epistola ad synodum Toletanam cap. 11. anno quadringentesimo sexto damnat Rufinum, qui, cum Metropolitanis Episcopo ordinandi sacerdotis pontificium deberetur, contra populi voluntatem & disciplina rationem Episcopum locis abditis ordinaverat.

Ex Zozimi epistola ad Patroclum Arelatensem, & ex altera ad clerum, ordinem, & plebem Massiliensem, constat eundem ordinem servari in Gallia. Bonifacius irritam decernit factam à Patroclo Lutubensis Ecclesiae Episcopi ordinationem, quod eam contra patrum regulas egisset, cleri, ordinis, & plebis petitione cessante, & praetermissio Metropolitanorum.

Celestinus epist. 1. cap. v. ad Episcopos per Narbonensem & Viennensem provincias anno CDXXXVIII. Nullus invitis detur Episcopus. Cleri, plebis, & ordinis consensus atque desiderium requiratur. Mox: Sit facultas Clericis renitendi, si se viderint praegravari; & quos sibi ingeri ex transverso (id est, extraneos Clericos) agnoverint, non timeant refutare. Qui etsi non debitum premium, vel liberum de eo qui eos rectorum est debent habere iudicium.

X. Sed qui formam istam exactè perpolivit, Leo primus adducendus est; cujus verba Ivo parte III. & Gratianus dist. 63. c. 36. retulerunt, nec tamen hinc omitti debent, ut lector liberetur onere conquirendi loci. Leo itaque anno ccccxi. v. in epistola ad Anastasium Thessalonicensem cap. v. ista constituit: Cum de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus preponatur quem cleri plebisque consensus concorditer postularit; ita ut si in aliam foris personam partium se vota dividerint, Metropolitanis iudicio is alteri praferatur qui majoribus & studiis juvatur & meritis; tantum ut nullus invitis & non petentibus ordinetur, ne plebs invita Episcopum non optatum aut contemnat aut odierit, & fiat minus

religiosa quam convenit cui non licuerit habere quem voluerit. Idem in epistola ad Episcopos provinciae Viennensis cap. 111. Tenentur subscriptio Clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. Qui praefuturus est omnibus, ab omnibus eligatur. Et in epistola ad Rusticum Narbonensem cap. 1. anno quadringentesimo quinquagesimo secundo: Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à provincialibus Episcopis cum Metropolitanis iudicio consecrati. Horum verborum compendio electionis, confirmationis, & consecrationis regulam quae posthac invaluit, Leo complexus est, & propriis verbis explicuit. Electio tribuitur Clericis, petitio plebi, iudicium Metropolitanis, & consecratio Episcopis provinciae. Soli Metropolitanis conceditur electionis iudicium, quoniam juxta synodum Nicenam τὸ κέρος ad eum pertinet. Ita tamen ut si perplexa esset definitio, aut decerneret ipse, aut ad synodum referret, vel ad sedem apostolicam remitteret integrum negotium; ut docet Ivo Carnotensis epist. 38. 39. & alibi. Perseveravit apud Metropolitanos haec potestas discutiendi electiones, & jure Decretalium confirmata est cap. Quia diligentia. Cap. Innotuit. & Cap. Cum dilectus. De elect. & alibi.

XI. Praecipuae autem partes tribuuntur Clericis in electione agenda: quoniam ipsi aliquo pacto Episcoporum provinciae eo in negotio auctoritatem repraesentant, subiectam quidem Metropolitanis iudicio, sed cuius maximam rationem laici habere debent. Vnde idem Leo officium cuiusque prudentissimè descripsit in epistola ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos anno quadringentesimo quadragésimo quinto: Expectarentur certè vota civium, testimonia populorum, quæretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in sacerdotum solent ordinationibus ab his qui norunt patrum regulas custodiri, ut apostolice auctoritatis norma in omnibus servaretur, qua precipitur ut sacerdos Ecclesiae praefuturus, non solum attestacione fidelium, sed etiam eorum qui foris sunt testimonio muniat. Quibus verbis ostenditur qui modus servandus sit in electionibus, & in quo peccaverat Hilarius Arelatensis, quem eo nomine graviter redarguit & damnat Leo: cujus sententiam constitutione quoque sua Valentinianus tertius firmavit, carpens Hilarium quòd indecenter Episcopos invitis & repugnantibus civibus ordinasset.

XII. Diximus in Metropolitanis electione synodi habenda usum perdurasse. quod probamus his verbis Leonis in epistola ad

Dist. 63. c. 27.

Vide supra lib. 5. cap. 38. §. 8. & cap. 33. §. 1.